



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 14. Emendatus, & declaratus locus quidam ex epistolis ad Atticum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

narrare, *ἄλλοθεν*. Neque indignum puto quod co-  
tur verbum *capere*, Græco more, positum esse pro  
quod est coarguere, ac convincere: in illo versu,

*Tu si me impudicitia captas, non potes capere.*

Ita enim illi *ἄλλοθεν*: sed cum versus eo modo  
constet, curtusque ac mutilus sit, facile equidem  
ducor, ut ita legendum putem,

*Tu si me impudicitia captas, capere non potes.*

neque minori aut commodiori mutatione arbitror  
eum redigi posse ad modum, ac mensuram cetero-  
rum. Et, quando hæc pusilla colligere cœpi, addidit  
illud quoque: ubi ita legitur,

*Namque de illo subditio Sosis mirum nimis est.*

Sine vlla dubitatione legendum esse, *mirum est*  
neque hoc omitam, ubi Mercurius se ad Amphitruo-  
nem deturbandum comparat, legendum videtur:

*Ibo intrò, ornatum capiam, qui potius decet.*

non ut vulgò, *qui potius decet*. Idem enim significat  
quod paulo antè dixerat;

*Capiam coronam mi in caput: adsimulabo me  
esse ebrium.*

est autem ita dictum, quomodo in hac ipsa fabula  
*nostro generi non decet*: & apud Terentium, *ut  
debet*: Græcorum hoc quoque imitatione, & exemplo.  
Sic in libris iuris: *Decet enim tanta maiestati, eas ser-  
re leges, quibus ipse solutus videtur.*

*Bmendatus, & declaratus locus quidam ex epistola  
ad Atticum.* CAP. XIII.

**S**OLET Cicero cum proverbiis utitur, mutila  
spe ea, & decurtata proferre: quod & alij tum La-  
tini, tum Græci scriptores sæpe faciunt: videturque  
in eo inesse aliquid lepôris, ac venustatis, cum vni-  
quisque



quique eius linguæ non ignarus, audito eorum principio, facile reliqua per se subiecturus esse videatur. Sed adfert tamen ea res interdum orationi aliquid obscuritatis, cum ex vna, aut ex altera vocula non quilibet statim prouerbum esse animaduertit, neque eius statim recordatur. Itaque ea quoque res non paucas maculas scriptis veterum asperfit. Quomodo equidem arbitror deprauatum fuisse locum quendam in libro x l i i. epistolarum ad Atticum, vbi ita legitur: *Sed, quaeso, epistola mea ad Varronem valde tibi placuit? Male mihi sit, si vnquam quicquam tam enitar.* Quis enim hæc postrema verba legens, non sentit insuauem quiddam, & à consuetudine Ciceronis alienum? Cum autem in satis vetere libro, quo me donauit lumen, ac splendor amplissimi ordinis Gulielmus Sirenius Cardinalis, legatur: *Male mihi sit, si vnquam quidquam tam inita:* fieri potest, vt fallar, sed mihi planè persuadeo legendum esse; *si vnquam quidquam tam inita:* & subaudiendum, *Minerva:* vt significet, se nihil vnquam tam inuita Minerva scripsisse, quàm illam epistolam ad Varronem, ob idque mirari, quòd illa Attico tam valde placuerit.

## Locus Casaris emendatus.

## CAPVT XV.

**I**AMPRIDEM animaduerti, multa in optimis quibusque scriptoribus ita manifestò deprauata, vt ea ipsa mihi causa fuerit, ne publicè testarer, quomodo emendanda viderentur, quòd neminem ita habere arbitrabar fore, quin id per se videret: maleque mihi videbar iudicaturus de ceterorum ingenijs, si ne illa quidem quæ in oculos inciderent, nisi monente me, animaduersum iri existimarem. Nunc, cum

S

huius

Mureti  
r Lektionen  
LII  
28